



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Venerabilis Thomæ A Kempis Can. Reg. S. Augustini. De Imitatione Christi Libri Quatuor

Thomas <von Kempen>

Augustæ Vindel., 1772

Caput XLII. Quod pax non est ponenda in hominibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45780)

ci, atque penitus nihil videri, non
possum interius pacificari, & stabi-
liri, nec spiritualiter illuminari, ne-
que plene tibi uniri.

CAPUT XLII.

*Quod pax non est ponenda in ho-
minibus.*

1. **F**ili, si ponis pacem tuam cum
aliqua persona propter tuum
sentire & convivere, instabilis eris
& implicatus.

Sed si recursum habes ad semper
viventem & manentem veritatem,
non contristabit te amicus recedens,
aut moriens.

In me debet amici dilectio stare:
& propter me diligendus est, quis-
quis tibi bonus visus est, & mul-
tum charus in hac vita.

Sine me non valet, nec durabit
amicitia: nec est vera & munda di-
lectio, quam ego non copulo.

Ita mortuus debes esse talibus af-
fectionibus dilectorum hominum, ut

(quantum ad te pertinet) sine omni humano optares esse consortio.

Tanto homo Deo magis appropinquat, quanto ab omni solatio terreno longius recedit.

Tanto etiam altius ad Deum ascendit, quanto profundius in se descendit, & plus sibi ipsi vilescit.

2. Qui autem sibi aliquid boni attribuit, gratiam Dei in se venire impedit: quia gratia Spiritus sancti cor humile semper quærit.

Si scires te perfecte annihilare, atque ab omni creato amore evacuarere, tunc deberem in te cum magna gratia emanare.

Quando tu respicis ad creaturas, subtrahitur tibi aspectus Creatoris.

Disce te in omnibus propter Creatorem vincere, tunc ad divinam valebis cognitionem pertingere.

Quantumcunque modicum sit, si inordinate diligitur & respicitur, retardat a summo, & vitiat.